

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,  
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Resignationes animi ad Dei matrem tres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

in proprio instrumento. Misericordissime Iesu, hoc est quod ex abysso cordis mei desidero, ac rogo, ut omnes vires & potentias animæ meæ, quicquid sum & possum, tu solus habeas, & per amoris incendium consumas, absorbeas, & in te transformes.

*Pro perfecta sui abnegatione obtinenda; posset quis quasi ad numerum omnium membrorum & virium suarum, dicere ter centies & sexages quinque verbum, quo Christus in hortu Patris suo se resignauit, videlicet. Non mea, sed tua voluntas fiat mihi amantissime Iesu, Amen.*

*Resignatio animi ad Dei matrem, virginem Mariam.*

**O** Gloriosissima celorum regina, dignissima Angelorum domina, peccatorum firmum refugium, mæstorum solatium, venie spes, & misericordiarum mater, totum me tibi ad tuos mellifluos pedes resigno & offero, ut doceas meyna cum benedictissimo filio tuo omnia vota & debita mea, & quæcunquam spectant ad vocationem meam diligentissime atque fideliissimè persoluere, totumq[ue] tempus vitæ meæ in vita & passione superbenedictissimi filii tui ad gloriam & honorem tuum expendere, Amen.

*Resignatio alia brevis ad eandem.*

**D** Ulcissima Domina mea sancta Maria, tibi commando & plenè resigno corpus & animam meam, ut custodias & dirigas ea, sicut custodisti & direxisti corpus tuum virginem & animam sanctissimam ad omnem virtutem, in laudem & beneplacitum omnipotentis Dei, præseruans & cohibens me ab omni peccato, Amen.

*Resignatio sui humilitatis, ad Dei matrem virginem Mariam.*

**O** Mater pientissima, o virgo clementissima & omnium desolatorum afflictorum consolatrix singularissima misericordiarum regina atque unica post filium tuum animæ meæ spes. Ad te o misericordissima desolatus, afflictus, & malorum meorum pondere pressus, tanquam ad securissimum portum confugio, ad benedictissima virginalia pedum tuorum vestigia me prosterno, corpus & animam, velle & posse meum omnesq[ue] vitæ meæ miserrimæ difficultates ac necessitates tibi resigno, offero atq[ue] commendô, & me totum cum humili subiectione maternæ custodiarum tuæ dedo, subdo, ac sine villa retractione trado. eligens te præ omnibus o benignissima, ego pauperculus & vilissimus peccator matræ meam: rogâs proinde corde humili & animo contrito, toto corpore pedibus tuis sanctissimis prouolutus, per viscera misericordiarum tuarum, per mansuetudinem virginei cordis tui, sub quo nouem mensibus requieuit Iesus Christus Dei filius, noli in te repellere, noli à suauissimo tuo me alienare confortio, noli, inquam, à pedum tuorum sacrâ vestigijs me amouere, sed propter eum qui ante te nudus & expansis pro me pependit manibus, totus disjectus & dilaceratus in cruce me suscipito, & cum dilectis tuis filiis & discipulis dirigito ac custodito, Amen.

*Pro Crucifixi Christi conformatio[n]e & perseverantia, Precatio.*

**O** Iesu Christe rex summè amabilis, corona confitentium, fortitudo pugnantium, atque ciuium cœlestium perfecta beatitudo, memento oro mei, & verbi tui quod loquerus es, per quod mihi spem dedisti, illius dico iucundissimæ premissionis, quæ dixisti: Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.

*O amabi-*

